



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

53. De quatuor millium hominum iterata refectioe.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

46 ACTA CHRISTI

ut veniret ad IESUM. *Matth. 14. v. 28.*
Et 29.

II. Videns verò ventum validum, timuit:
& cum cœpisset mergi, clamavit, dicens:
Domine, salvum me fac. Et continuo IESUS
extendens manum, apprehendit eum
& ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? *Matthæi 14. v. 30. Et 31.*

III. Et cum ascendissent in naviculam,
cessavit ventus. *Matth. 14. v. 32.* Et plus
magis intra se stupebant. *Marc. 6. v. 51.* Qui
autem in navicula erant, venerunt, & ado-
raverunt eum, dicentes: Verè filius Dei es.
Matth. 14. v. 33. Et statim navis fuit ad
terram, ad quam ibant. *Ioan. 6. v. 21.* Et
cum transfretassent, venerunt in terram Ge-
nesar, *Matth. 14. v. 34.* & applicuerunt.
Marc. 6. v. 53.

MEDITATIO LIII.

*De quatuor millium hominum iterata
refectione.*

I. **I**N diebus illis iterum cum turba multa ef-
set, nec haberent, quod manducarent,
Marc. 8. v. 1. IESUS convocatis discipulis
suis dixit: *Matth. 15. v. 32.* Misereor super
turbam: quia ecce jam triduo sustinent me,
(triduo jam perseverant mecum, *Matth.*

15. v. 32.) nec habent, quod manducent:
 & si dimisero eos jejunos in domum suam,
 deficient in via: quidam enim ex eis de lon-
 gè venerunt. *Marc. 8. v. 2. & 3.* Et dimit-
 tere eos jejunos nolo, ne deficient in via.
Matth. 15. v. 32.

II. Et responderunt ei discipuli sui: Vnde
 illos quis poterit hîc saturare panibus in so-
 litudine? *Marc. 8. v. 4.* Vnde ergo nobis in
 deserto panes tantos, ut saturemus turbam
 tantam? Et ait illis IESUS: Quot habetis
 panes? At illi dixerunt: Septem, & paucos
 pisciculos. Et præcepit turbæ, ut discum-
 berent super terram. *Matth. 15. v. 33, 34.*
35. Marc. 8. v. 4. 5. 6.

III. Et accipiens septem panes, & pisces,
 & gratias agens, fregit, & dedit discipulis
 suis, *Matth. 15. v. 36.* ut apponerent, & ap-
 posuerunt turbæ, *Marc. 8. v. 6.* Et comedè-
 runt omnes, & saturati sunt. Et quod su-
 perfuit de fragmentis, tulerunt septem spor-
 ras plenas. *Matth. 15. v. 37. Marc. 8. v. 8.*

IV. Erant autem, qui manducaverunt,
 quatuor millia hominum, *Matth. 15. v. 38.*
 quasi quatuor millia, *Marc. 8. v. 9.* extra par-
 vulos & mulieres. *Matth. 15. v. 38.* Et di-
 missâ turbâ, ascendit in naviculam; & venit
 in

in fines Magedan. *Matth. 15. v. 39.* Dimisit
eos, & statim ascendens navim cum discipu-
lis suis, venit in partes Dalmanutha. *Marc.*
8. v. 9. & 10.

MEDITATIO LIV.

*Petro claves regni calorum pro-
mittuntur.*

I. **E**gressus est Iesus, & discipuli eius, in
Castella (in partes, *Matth. 16. v. 13.*)
Cæsareæ Philippi: & in via interrogabat
discipulos suos, dicens eis: Quem me (fili-
um hominis, *Matth. 16. v. 13.*) dicunt esse
homines? Qui responderunt illi, dicentes:
Marc. 8. v. 27. & 28. Alij Ioannem Bapti-
stam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam,
aut unum ex Prophetis: *Matth. 16. v. 14.*
quia unus propheta de prioribus surrexit,
Luc. 9. v. 19.

II. Dicit illis Iesus: Vos autem quem
me esse dicitis? Respondens Simon Petrus
dixit: Tu es Christus, filius Dei vivi. Re-
spondens autem Iesus, dixit ei: Beatus es
Simon Barlona; quia caro & sanguis non
revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis
est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, &
super hanc petram ædificabo ecclesiam
meam,